Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1047
Quelle:
Copyright:

mento comiti mauronis uisitandi gratia. affuerunt et alij plures amalfitani. Incidit sermo de S. Irene: *quomodo per tot annorum curricula cum esset ecclesia amalfitanorum sub dicione et quasi in sinu illius, neglexerunt inquirere et inuenire que fuit.* Fuisse tamen a *Constantino* M. dicatam ei primam Ecclesiam *CPoli*, et a S. *Marciano* nato ex romano genere et in utraque lingua doctissimo aliam aedificatam, *ut puto quod non sit ei similis in toto mundo. Sed quia sunt aliqui qui dicunt. quoniam quomodo dicitur sancta sophia dei sapientia. ita dicitur et sancta berini* (observa sonum τȣ ει et η) *dei pax*, voluisse se breuiter ejus vitam et finem ostendere. *Est enim apud grecos liber integer de passionibus et miraculis eius. quem mihi interpretari ac scribere impossibile est. cum sim senex.* Addit hunc Librum esse in monasterio *Panagiotum*, in quo hospitaretur. Notatu digniora haec sunt ad potentissimae quondam Civitatis *Amalfitanae* res, quam quidem *Acta* ipsa *Irenes*, quae sequuntur. *Sergii* et *Lupini Comitum* mentio in *Jul. Caes. Capacii Hist. Neap.* L. I. c. 13. Monachos *Panagiotas* dictos putem ἀπο τȣ Παναγιας, quomodo Graeci Deiparam adpellant. Actorum initium est: *Beatissima igitur christi martir berinis filia unica fuit licinij regis et licinię matris. Nata uero fuit in ciuitate magedon Penelopi prius a parentibus uocata propter nimiam pulchritudinem* &c. Fabulis scatent. Graece et lat. a se in Bibl. *Vaticana* reperta fuisse testantur *Bollandiani* ad diem 5. *Maji* T. II. p. 4. De *Johanne* interprete dictum ad N. *praeced.*

XII. *fol.* 184. *Incipit uita uel obitus Sancti iohannis patriarche alexandrini. Cognomento beleymon.* (Ελεημων, nobis Eleemosynarius) *Edita a leontio episcopo neapolitano prouincie cipri. Celebratur die duodecima mensis nouembris.* De *Leontii Johanni* συγχρονȣ Scriptis agit *Fr. Combefisius Bibl. PP. Concionat.* T. I. edit. *Venet.* 1749. p. XXVII. *Prologum* ejus omisit Librarius noster; habent vero *Acta SS.* T. II. *Januar.* p. 498. una cum *Vita*, sed e versione *Anastasii Biblioth.* quae nostram Seculo integro praecedit, siquidem haec, ut puto, e *Johannis* supra memorati calamo fluxit. Ejus initium: *Cum indignus ego* (Leontius) *uenissem aliquando in urbem alexandriam adorandi gratia beatorum martirum ciri et iohannis reliquias* &c.

XIII. *fol.* 197. p. 2. *Incipit uita uel obitus Sancti Constantiani confessoris et sociorum eius.* Initium: *Igitur regentibus atque tenentibus childeberto ac lothario fratre eius monarchiam regni francorum* &c. Venit cum *Avito*, *Karilepho*, *Frambaldo*, et aliis *Constantianus* in *Pagum cinomannicum* (Cenomanensem, du Maine) acceptoque ibi ab *Innocente* Ep. habitationis loco *uico Gebron* (Jauron) eremiticam vitam cum cura pastorali conjunxit multis prodigiis clarus, quae enarrat Autor *Vitae* aevo subpar, ait enim de

Disci-